



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XIII. Ordo Eremitarum S. Augustini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

Sér.<sup>mi</sup> Principes nostri, quos suprà nomi-  
 nauī, pro singulari suo erga religiosos cœtus  
 affectu insignem fontem in monasterium  
 istud, quanquam alto loco situm, ex vicino  
 suo ferarum viuariò, anno millesimo sex-  
 centesimo decimo octauo deriuarunt.

## CAPVT XIII.

*Ordo Eremitarum S. Augustini.*

**I**nstitutus est hic ordo à S. Augustino, in  
 eremo, non procul à Tagasta, vrbe Afri-  
 cæ, anno Christi 388. aut sequenti, & confir-  
 matus ab Innocentio I. Papa circa annum  
 402. Deinde à Leone I. Item ab Innocentio  
 III. & IV. Alexandro item I V. & alijs Pon-  
 tificibus. Ex ijs tres posteriores non solum  
 hunc Ordinem approbarunt, sed diuersas et-  
 iam Congregationes regulæ Augustinianæ  
 (vt S. Guilielmi. B. Ioannis Boni, Pœniten-  
 tiæ Iesu Christi seu Saccitarum, item de Bri-  
 tannis & alias) sub vno capite seu Præfecto Ge-  
 nerali vnierunt. Vnde & festum *Reunionis* o-  
 lim quotannis 5. die Iunij celebrari solet. De  
 ijs fusè S. Antoninus p. 3. t. 4. Onuphrius an.  
 1255. Genebrardus in Alexandro III. & Cor-  
 nelius Lancilottus in vita S. Augustini, lib. 2.  
 cap. 12. & consequentibus.

Est autem hic Ordo per totam terrarum  
 orbem diffusus, varias in prouincias parti-  
 tus,



tus, quas idem Lancilottus enumerat, vnà cū  
ferie conuētuum seu monasteriorū cuiusque  
prouinciæ.

*Schola  
Augu-  
stiniano-  
rū in Bel-  
gio.*

De hoc Ordine peculiarem librum edidit  
Romæ Iosephus Pamphilus, Episcopus Signi-  
nus: vt & de scriptoribus eiusdē instituti cō-  
mentarium Hieronym. Gratianus Antuerpię  
publicauit. Ceterum laudandi sunt in primis  
Patres Eremitæ Belgæ, qui exemplo Patrum  
Soc. Iesu in celebrioribus Belgicæ vrbibus  
iuuentutem optimis & moribus & litteris  
Latinis imbuunt. Habent autem scholas cele-  
berrimas *Bruxellis, Antuerpię, Louanij, Thenis,  
Distemij, Herentalis, Mechliniæ, Gandau, Brugis,  
Insulis, Bouinij, Huy, Hasleti, & alibi.* Scholas a-  
perire cœperunt solemniter *Bruxellis* anno  
circiter 1602. fauente in primis Magistratu ac  
populo illius vrbis: quem in vsum illustre  
Gymnasium, in quinque classes Litterarias di-  
stributum, ad Sennam fluiuium anno 1614. à  
fundamentis excitarunt, procurate P. *Nicolao  
Crusenio*, tūc illius loci Priore. Quod quidem  
adeo placuit Ser. mis Belgarum Principibus  
*Alberto & Isabella*, vt in dicti Gymnasij Bru-  
xellensis ædificationem non modò ingentem  
pecuniæ summam liberaliter contulerint, sed  
in eiusdem quoque frontispicio insignia sua  
gentilicia præfigenda mandarint.

Bruxellensium exemplo moti, Reueren-  
dissimus Dominus patruus meus *Ioannes Mi-  
ratis*, Antwerp. tunc Episcopus, Senatus iterum



ac populus illius urbis, Patres Augustinianos Antuerpiam anno 1607. euocarunt, euocatos humanissimè exceperunt ac fouerunt. Ad eò quidem, vt gratuita Senatus ad Mercatorum (quos inter palmā meruit D. Henricus Cousius urbis senator) liberalitate elegantissimū à fundamentis templum paucos intra annos surrexerit: quod omnibus numeris absolutū, anno 1618. postridie Kal. Septembris à *Ioāne Maldero*, Antuerpiensi Præsule, in honorē Dei, B. Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum est consecratum.

Et verò, quantum existimationis, ornamenti, ac fauoris Ordini huic Augustiniano apud Belgas, post institutas scholas, accesserit, haud facilè dixerò.

Vtinam verò, quod apud Belgas in erudienda iuuentute, idem quoque apud Germanos, Francos, Hispanos, Italos, aliasque nationes præstent Eremitæ Augustiniani! nihil alienū à S. Augustini instituto facturi ( vt egregiè docet Corn. Lancilottus in eiusdem Vita, lib. 3. cap. 47. ) quin imò optimè de vniuersa Republica Christiana meritori. De Benedictinorum, Dominicanorum, Fratrum Hieronymianorum seu vitæ communis, aliorumque Religiosorum scholis, olim publico Ecclesiæ bono celeberrimis, dicam alibi. Dominicani certè scholas litterarias hodieque habent Liræ in Brabantia, Braniæ Comitis in Hannoveria, & Ipris in Flandria.